



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

§. II. Ex sexto Decretalium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua irretitur incendiarius, postquam fuerit excommunicatus denunciatus; capit. *Sua nos.*

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur spoliantes Ecclesias cum estractione, qui per Papam tantum post denunciationem absolvuntur; cap. *Conquesti* ibid.

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur tam Prælatus, quam Laicus, cui Prælatus committit, etiam causa disciplina Regularis Clericum verberare; ipse enim Prælatus id per se ipsum, vel si necessitas urget, per alium Clericum, vel Monachum, debet exequi; capit. *Universitatis* ibid.

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur consentiens in Clerici percussione; cap. *Quanta* ibid. ubi Glos. dixit, *Quod, qui Clericum verberat, & qui verberari facit, vel consentit cooperando, vel, qui auctoritatem habet ex officio, & non prohibet, si potest, est verè excommunicatus.*

VIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur Laicus detinens Clericum, vel Monachum in custodia publica, aut privata, vel sine latione corporali; capit. *Nuper* ibid.

IX. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur Clericus, etiam consentiens in sui percussione; cap. *Contingit*, ibid. ratio est, ut ibi textus, *quia huiusmodi manus injectio, & si non violenta, tamen injuriosa videtur: cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus. Ubi Glos. prima notavit, quod volenti, scienti, & patien-*

ti sit injuria, si in eo laedatur jus alterius.

Et non modò consentiens, verum & percutiens censura ligatur; quia manus temerarias, & causa ulciscendi injuriam suam manus temerarias in Clericum injicit. Percussio, tamen injuriosa non esset Clerico percusso, ut Petro, etiam, ut Clerico, & statui Clericali injuriam irrogaret.

## §. II.

*Ex Sexto Decretalium.*

63. I. **S**UMMO Pontifici reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligatur percutiens Novitium Religiosum; cap. *Religioso*, §. *Quamvis de sent. excom.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur ratam habens violentam injectionem manuum in Clericum, nomine suo, licet non suo mandato, factam; cap. *Cum quis* ibid. Ratio datur in textu: quia rathabitio retrahitur, & mandato comparetur; si verò injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc, licet peccet ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationis illius vinculo innodaris, cum quis ratam habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur deliberatè in scriptis glossantes, & depravantes intellectum Decretalis, Exiit, ac facientes libellos, & ex certa scientia prædicantes contra regulam, & statum Frat. Min. cap. *Exiit de verb. signif. in 6.*

## §. III.